



## **Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica**

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Vacatione, Amissione, Et Extinctione Beneficiorvm ...

**Leuren, Peter**

**Coloniæ Agrippinæ, 1704**

882. An unio sit favorabilis, an odiosa.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74494](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74494)

unum beneficium, & unum ministerium. De quo modo fit mentio in *c. decimas. 16. q. 1. Azor loc. cit. Gonz. loc. cit. n. 28.* (qui etiam hoc exemplificat in duabus Parochiis vicinis, & distinctis ob bellum unitis, ut ex duabus jam fit facta una, & in dignitatibus ex duabus factis una) *Garc. cit. c. 12. n. 6. Castrop.* (qui tamen duo posteriores hunc modum parum frequentem esse dicunt) adeoque communiceant privilegia, bona, consuetudines ad invicem, sive privilegia & jura data uni spectant hoc ipso ad alterum, seu competunt & alteri, *Gonz. cit. n. 28. & fufius n. 55. Garc. n. 10.* & sic fiat retentio privilegiorum utriusque in uno, *Gonz. cit. n. 55.* Et si forte hæ consuetudines vel privilegia sint contraria, meliora & favorabilia conserventur. *Garc. cit. n. 10.* Atque in hoc casu hujus unionis duarum Collegiarum Canonici, qui sunt in una Ecclesia, etiam esse Canonicos in alia illa Ecclesia, tradunt *Garc. cit. c. 12. n. 11.* citans *Per. de Perus. tr. de union. c. 1. n. 6. & c. 2. n. 3. Caccialup. &c. Azor cit. q. 2.* qui etiam addit, utriusque Ecclesie (intellige, dum Cathedralis sunt) Canonicos jus habere, Episcopum eligendi, & negotia communiter expediendi. Verum de hac specie unionis dicit *Castrop. loc. cit.* esse, non tam beneficiorum unionem, quam illorum extinctionem, & novam beneficii erectionem.

*Questio 881. Unio, num sit accessoria, an principalis, unde in dubio presumat, & ex quo dignoscatur?*

**1.** Respondeo ad primum: In dubio, & ubi non constat clarè de contrario, semper presumendum, unionem factam esse æquè principaliter, & non accessoriè, seu subjektivè; cum hæc reputetur odiosa. De quo *q. seq. Card. de Luc. de regular. d. 25. n. 4. Carol. Anton. de Luc. in observat. ad annot. 8. §. 1. To. 2. Ventriglia. n. 1. citans Gratian. discep. for. discep. 893. Gonz. gl. 5. §. 7. n. 134. citans Abb. inc. exstirpanda. §. qui verò, de preb. n. 4. Rebuff. in pr. tit. de union. n. 20.*

**2.** Respondeo ad secundum: Ad dignoscendum verò, num facta censetur accessoriè, vel æquè principaliter, imprimis inspicendus est tenor unionis. *Castrop. de benef. d. 6. p. 12. §. 1. n. 11. Garc. cit. c. 12. n. 5. Gonz. loc. cit. n. 128.* citans *Rebuff. ubi ante. n. 19. Hojed. de incompat. benef. p. 2. c. 3. n. 5. Felin. in c. in nostra. de rescrip. n. 30.* Et sic Ecclesiam judicari unitam accessoriè per verba: *Ecclesiam vel beneficium illi beneficio unimus, annectimus, incorporamus;* ait *Carol. Anton. de Luca. loc. cit. n. 3. Castrop. Garc. loc. cit.* Econtra verò judicari duo æquè principaliter unita, si dicatur: *illud & illud beneficium unimus;* ait *Castrop. & Garc. ll. cit.* Si autem ex lectura, seu literis unionis dignosci id nequeat, attendendum, quodaam ex beneficiis invicem unitis, sit magis, quod minus dignum; cum minus dignum presumatur semper esse unitum accessoriè, & non æquè principaliter magis digno, ita ut magis dignum trahat ad se minus dignum. *Castrop. loc. cit. Gonz. loc. cit. n. 129.* citans *c. quod in dubio. de consecrat. Eccles. §. si tu.* Quod si autem non appareat, quod sit magis dignum, recurendum est ad denominationem, sive attendendum, num ex uno beneficio tantum proveniat denominatio, & illud judicabitur principale unitum, alterum unitum accessoriè; cum semper à digniore & potiore fiat denominatio.

*Castrop. loc. cit. Gonz. loc. cit. n. 134.* citans *Felin. in c. translato. n. 6. in fine. Put. decis. 442. n. 4. l. 1.* Ac denique attendenda observantia; hæc enim tanquam optima legum interpres, removebit hæc in parte dubium. *Castrop. loc. cit. Gonz. loc. cit. n. 135.* citans *Card. Paris. conf. 35. n. 20. l. 1. Mandos. ad reg. 29. q. 2. n. 3. & 4.* Cessantibus autem his omnibus, præsumendum, ut dictum, unionem factam æquè principaliter; cum semper sumi debeat præsumptio, ut titulus beneficii conservetur, non extinguatur. *Castrop. loc. cit. Gonz. n. 134.* Illud etiam observandum ex *Card. de Luca de regular. d. 25. n. 4.* quod non omnis actus, qui superioritatem aliquam, vel respectivè subjectionem importat, denotet hunc effectum unionis subjektivæ; cum ad protectionem, vel jus patronatus, ad tributum vel censuram id referri possit, citra omnem etiam unionem.

**3.** Advertendum etiam est, quod tradit *Garc. loc. cit. n. 57.* & ex eo *Castrop. loc. cit. n. 12.* contra *Nav. conf. 14. n. 4. de reb. Ecclesie.* nempe quod annexio præbendæ Canonialis facta dignitati, Personatus seu officio ejusdem Ecclesie, etsi videatur facta accessoriè, tamen non fiat per viam incorporationis & suppressionis, sed uti duo beneficia obtineantur; cum ad hunc effectum fiat ista unio, ut obtinens dignitatem, & præbendam illam, sit dignitas inter dignitates, & Canonicus præbendatus inter Canonicos, conservato numero Canonicorum & præbendarum; & tanquam Canonicus habeat vocem in Capitulo; quod signum manifestum ait *Castrop.* unionem illam reipsa non esse accessoriæ, sed principalem; idque à fortiore ex eo constare, quod, cum alia simili Præbendæ sit incompatibilis. Unde & collatio Præbendæ Pœnitentiarii spectet ad collationem illorum, ad quos antea spectabat, etsi provisio officii Pœnitentiarii, cui illa annexa, ut *Trid. sess. 24. c. 8.* spectet ad Episcopum solum. *Garc. loc. cit. n. 58.* Verum & in hoc multum spectanda consuetudo, dum dantur Parochi, qui in vicina, vel etiam eadem Collegiata sunt Canonici, absque suppressio verè Canonicatu tali, & absque eo, quod vocem habeant in Capitulo.

*Questio 882. An unio sit favorabilis, an verò odiosa?*

**1.** Respondeo primò in genere: Uniones de jure communi esse odiosas, & restringendas, quia per illas diminuitur cultus Divinus; & quia unio duorum beneficiorum, & Ecclesiarum est contra jus commune, cum qualibet Ecclesia debeat suum proprium habere Rectorem. *c. nonnulli. de cleric. non resid. & regulariter una Ecclesia non est ancilla alterius* (quod tamen posterius magis concernit in specie unionem subjektivam) *Alphon. Soto, seu Glossator antiq. apud Chok. ad reg. Cancell. de union. revocat. n. 1. 2. 3. Card. de Luca de Parochis. d. 37. n. 42. & d. 35. n. 12.* ubi simpliciter, quod unio in jure dicatur odiosa. Item *de benef. d. 19. n. 13.* ubi ait: *materia unionis est odiosa, & strictè intelligenda: Item unio odiosa reputatur, & in ea strictè ac rigorosè proceditur.*

**2.** Respondeo secundò: Unio æquè principalis, seu jure coæquali est magis favorabilis, & minus præjudicialis, quam accessoria, seu subjektivæ. *Carol. Anton. de Luca loc. cit. n. 1. Card. de Luca ad Trid. d. 8. n. 30. & de Regular. d. 25. n. 4.*

*Qua-*